

CONCIO III.

QUA RATIONE OMNES SATURARI, IMO ET PANES SUOS MULTIPLICARE POSSINT.

I. Si laborent. — II. Si fiduciam in Deum habeant. — III. Si pro acceptis beneficiis gratias agant. — IV. Si Dei beneficia laudent quantumvis modica. — V. Si sint temperantes. — VI. Si liberales sint erga pauperes.

THEMA.

Impleti sunt. Joan. VI.

Ita fere comparati sunt omnes, ut eas maxime artes libentius addiscant, quæ de pane lucrando et comparandis sunt divitiis, videmus etiam illos sæpe indigere et suam egestatem misere deplorare, qui artes parum lucrosas in juventute didicerunt. Artem quæstuosissimam demonstravit hodie Christus, quando sua benedictione quinque panes ita multiplicavit, ut quinque millibus hominum sufficerent, quin et redundarent: quo imprimis id effecit, ut qui panes illos gustarunt, rapere eum vellent, et regem constituere. Placet hoc artificium, dicet forte aliquis: et cupere id addiscere, si modus addiscendi foret. Non est hoc impossibile, et videtur ipse magister noster Christus, dum hoc ageret, modum insinuassee, quomodo id ipsum consequi fideles quadam ratione possint, dum plures adhibuit ritus ad patrandum hoc miraculum: accepit panes in manus, aspexit in cælum, gratias egit, benedixit, fregit, distribuit. Quæ omnia si et nos facere velimus, poterimus et ipsi quid simile præstare; uti nunc videbimus.

I. Accepit Jesus quinque panes in manus suas, et in illis multiplicavit eos, sementem in agro adaugens in messem copiosam. Qui vult saturari pane, accipiat et ipse sementem panis in manus suas, laborem, inquam, qui est semen panum, juxta id Psalmi CXXVII. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.* Quomodo labores manducantur, nisi quia ipsi semen sunt frugum, quæ manducantur? Ergo qui metere, et ea messe vult satiari, sementem prius faciat manibus suis, labores videlicet. Ita mulier illa sapiens. Prov. XXXI. *Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.* Et quid effecit? *Non timebit domui suæ a frigidibus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* En quid possit colus! Duplices parat vestes omnibus domesticis: sed in manu sapientis et industriæ matris familias. Confirmat hoc idem Sapiens, Prov. XXVIII. dicens: *Qui operatur terram suam, saturabitur panibus; qui autem sectatur optium, replebitur egestate.* Idem paulo aliter dixe-

rat, cap. XII. his verbis: *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, stultissimus est.* Quare stultissimus? Quia metere vult cum non ejecerit semen; comedere et saturari, cum non laborarit. De his Oseas, cap. VIII. ait: *Ventum seminabunt, et turbinem metent, hoc est, ex otio egestatem et calamitatem.* Jarchas Brachmanorum antistes dicitur mensas struxisse, quæ sua sponte incederent, et convivis obviant: itaque cum regem invitasset, subito eas dapibus instructas regi obviam processisse, Philostr. Apollo, l. III. c. VIII. Verum hoc minime expectandum, ut mensa jam parata otiantibus occurrat, possumus tamen si laborare velimus, id efficere, ut domi nostræ mensam jam semper instructam, et quasi nobis obviantem inveniamus, cum edendum est. *Ut sementem feceris, ita metes,* ait Horatius, sat. IX. l. I. *Nil sine magno vitæ labore dedit mortalibus.* Hac via auxit suam substantiam patriarcha Jacob, industria scilicet et labore, quo serviit Labano. Ita enim ait, Gen. XXXII. *In baculo meo transivi Jordanem istum et nunc cum duabus turmis regredior pecorum scilicet et filiorum.* Quinimo jubemus omnes talenta nobis credita duplicare et augere nostra industria, nisi cum servo illo pigro ejici velimus.

II. Respexit in cælum, ut habet Lucas, Marcus et Matthæus. Idem faciat, qui saturari vult. Si enim videt labores suos irritos esse, aut victui comparando insufficientes nec aliud humanum præsidium reperit, tum oculos in cælum tollat, et ad Deum confugiat, omnem suam fiduciam in eo reponendo. Docet hoc imprimis Josaphat rex prius, qui hostium insidiis circumventus, cum humanis viribus resistere non posset, ita oravit ad Dominum: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruiit super nos; sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te,* II. Paral. XX. Hac via auxit rem familiarem vidua illa, IV. Reg. IV. quæ cum non posset satisfacere creditoribus suis, et in periculo esset ne tollerentur ei duo filii ad serviendum illis, suam necessitatem Elisæo exposuit, opem ejus implorans. Illa nihil diffusus quærit, quid in domo habeat? Ipsa: *Non nisi parum olei ait, quo ungar,* h. e. quantum sufficeret unctioni vultus. Itaque jussit eam propheta petere vasa mutuo, et ex modico illo oleo fundere in illa: quo facto omnia impleta sunt, nec prius stetit oleum, quam vascula deficerent: quasi plura adhuc impleturum, si plura superfuissent. Potuit hoc stupendum olei augmentum impetrare mulier a propheta, constituta in necessitate; quid non poterimus nos Christiani

impetrare a Deo, si pari cum fiducia ad ipsum recurramus? Alia plurima passim in historiarum sanctorum reperiuntur hujus providentiæ ostenta, quibus Deus servis suis in summa necessitate constitutis, et in servitio ejus defentis miro modo succurrit, ut in vita S. Joannis elemosynarii, in vita S. Benedicti, Dominicæ, Francis, et Catharinæ Sennensis, Ignatii s. patris nostri, Josephi Anchiète, etc. Unum id refero, quod Germanis in proverbio, non tamen omnibus perspectum est, de lagenula S. Othmari abbatæ Sangaliensis. Cum enim sancti defuncti corpus fratres ejus undecim ad monasterium per Rhenum transferrent, et ex nimia remigandi instantia fessi adveniente refectionis hora ad recuperandas alimento corporeo vires laudibus Domini præmissis consedissent, tandemque, felici convivio intermisceri potus solatii commonerent, unus ministrorum intulit, nil cibo potusque superesse, præter quod in flascone parvo servabatur, unde vix unicuique quippiam ad gustandum potius, quam ad bibendum præberi potuisset. Illi vero miraculorum Domini, quomodo paucis panibus multitudinem hominum paverit, numerosas facientes mentionem, ex eodem parvo quod habebant, cunctis, qui aderant, cum charitate distribui fecerunt. Et mirum in modum cœpit in eodem vasculo liquoris haustus crescere, ut continua effusione nihil minui videretur, quoadusque bibentes poculorum copia vincerentur. Ergo pro rei novitate obstupefacti, largitori omnium honorum Domino, qui eis tam mirabiliter sufficientem præbuit haustum, debitas gratiarum actiones cum laudibus persolverunt.

III. Gratias egit. Optimum hoc medium Dei in nos beneficia continuo fluxu conservandi, imo et augendi est, si ipsi pro acceptis gratias semper agamus, sic nunquam egebimus, ac proinde satiabimur. «Mensa namque ab oratione sumens initium, et in orationem desinens nunquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis afferet bona,» ait D. Chrys. hom. ad pop. Idem ostendit similitudine deducta a ludo pilæ, alibi, (apud Corn. a Lap. et Salazar, in c. XVI. Prov. v. III). «Opera nostra bona, inquit, in Deum referre debemus, quemadmodum in spheræ ludo jacit unus, alter vero refert pilam, tamdiuque eleganter ludus producit, quamdiu inter utriusque manus jacta et recipiata spheræ non excidit.» Eo videtur respexisse Sapiens, Prov. XVI, cum ait: *Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuæ,* Hebr. *Volve ad Dominum opera tua, et firmabuntur cogitationes tuæ,* q. e. Opera tua Domino accepta refer, et stabiliet te. Ita ludit Joseph cum

suis fratribus, quando pretium frumenti ab eis acceptum iterum clam reposuit in sacco eorum, quia cum esset ditissimus, eo non egebat: et dando potius eis, quam accipiendo delectabatur, Gen. XLII. Ita lusit Eva, quæ cum primum filium obtinisset, Deo acceptum retulit dicens: *Possedi hominem per Deum;* et appellavit eum *Cain,* h. e. *possessio.* Ergo rursus, quasi in mercedem gratitudinis, peperit filium Abelem. In quem locum S. Chrys. hom. XIX. in Gen. «Quia, inquit, pro nato puero grata fuit, et prius beneficium agnovit, assecuta est aliud. Talis est Dominus noster, quando imprimis gratitudinem declaramus, largius nobis sua dona erogat.» Ita lusit Anna conjux Elcanæ, quæ ubi acceptum a Deo filium appellavit, *Samuelem,* h. e. *a Deo datum,* in gratiarum actionem, ipsique redonavit: meruit pro eo quinque alias proles accipere, tres filios et duas filias, I. Reg. II. Ita lusit Rachal, quæ nacta a Deo filium, vocavit eum *Joseph,* h. e. *augmentum,* dicens: *Addat mihi Dominus semen aliud,* Gen. XXX. quod factum. Eandem remunerationem non dubitavit S. Hier. in epist. ad Lætam, ipsi promittere, quod filiam suam Paulam Deo consecrasset: *Fidens loquor, accepturam te filios, quæ primum fetum Domino reddidisti.* Par ratio de aliis bonis ad vitam corporis et animæ spectantibus. Multis abundaremus, paucis egeremus, si grati semper Deo pro acceptis bonis essemus; ut enim ingratus exsiccet, ita gratus inundat fontem misericordiæ.

IV. Benedixit quinque panes (quod addunt tres alii evangelistæ.) Satiari enim poterit, qui benedixerit panem sibi a Deo missum, tametsi nigrum, rancidum et insipidum. Si enim laudes Dei beneficium; quantumvis appareat modicum, ea ipsa laude et benedictione tua impetrabis alia plurima et majora. Experimur in cauponibus, Italiæ præsertim. Si quis enim primum, quod appetunt vinum licet vile et ignobile, commendet velut gratum et excellens, permovebit hospitem, ut aliud et aliud præstantius apponat: quod experientia compertum. E contra si quis id vituperet; non modo non excellentius, sed vilius semper afferre sibi experietur. Nescio quo jure faciant id caupones, qui vina sua pretio vendunt: scio tamen Deum, qui dona sua gratis dat, facere id posse jure meritissimo, et vero id commisuisse. Id videre est in Isaaco, Gen. XXVI. Hic enim cum in Palæstina puteum fodisset, quo sine contentione frui in pace poterat, Deo laudandans, appellavit eum, *latitudinem,* seu *latifundium* (ut exponit S. Chrys.) dicens: *Nunc dilatavit nos Dominus et fecit crescere super eum.* Post hæc ascendens in Bersabee, iterum reperit alium

puteum priore meliorem, et appellavit eum *Bersabee*, h. e. *puteum saturitatis*, seu, ut verit noster interpret, *abundantiam*. Idem accidit Davidi, qui cum laudasset Deum ob suam in regium thronum provectionem: *Quis ego sum, Domine Deus, quia eduxisti me huc usque, etc.* II. Reg. VII. *Factum est post hæc*, (completa scilicet illa Davidis orat.) *percussit David Philistiim, et humiliavit eos*. Percussit et Moab, percussit Arazer, omnesque Israelis hostes mira celeritate debellavit, et quidquid spectabat ad possessionem Israelis, acquisivit, quod nullus ante ipsum efficere potuit; itaque pacatum reddidit totum regnum suum, ut habetur, c. VIII. seq. Job quoque quia pro acido tribulationis vino Deum benedixit: *Sit nomen Domini benedictum*, meruit omnia bona sua perditam in duplo recipere.

V. Fregit, ut habent cæteri evangelistæ et in ipsa fractione panes multiplicavit: volens interim insinuare, parce et moderate cibum sumendum, ut plurimis sufficiat. Duo tantum fercula panes et pisces apposuit, eosque non integros, sed in frusta divisos; effecit tamen benedictione Domini, ut omnes satiarentur. Multi possent saturi esse, imo abundare et multiplicare victum suum, si vellent temperantes esse, et victum non superfluum, sed necessarium sibi et familiæ suæ admetiri: quo modo Deus Hebræis in deserto singulis familiis suum manna gomor præscripsit, ita omnibus sufficiens, ut nemo egeret, nemo abundaret. Idem faciunt navigantes, cum in alto mari detenti annonæ defectu laborare incipiunt, et milites in obsidione: singulis enim suas admittuntur mensuras, quo diutius perdurent. Citius satiatur stomachus, quam appetitus. Agesilar Lacedæmoniorum dux, si convivis suis mox cum præparasset vinum, cunctis id ex æquo iussit distribui: sic omnes satiavit, Laer. lib. II. « Philippum regem Macedonum rure quispiam invitaret ad cenam, paucos habere secum comites opinatus; cum autem modice apparatus ad cenam Philippus plures adduceret, perturbabatur: quod ut sensit Philippus, ad singulos amicorum submitit, qui moneret, ut locum placetæ relinquerent; ita amicis obtemperantibus, placentamque expectantibus, ac ideo parcius vescentibus appositis cibis, omnibus cæna ea suffecit. Sic ergo præparare nos debemus ad necessarias istas invitationes, ut obsonio, bellariis locum relinquamus in corpore, novumque ad ea et paratum adferamus appetitum. » Ita scribit Plut. de tuenda valetudine. Sic nimirum si moderate vesceremur, æque saturi magis sani e mensa surgeremus, victus quotidianus vix unquam nos deficeret, et postremo grande meri-

tum, quæ ultima, quam expectamus, placenta est, de quo Psal. XVI. ait Psalmista: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, nobis acquireremus. Quia vero multi uno prandio multorum dierum labores devorant, quid mirum, si post fament et raro saturerentur?

VI. Distribuit discumbentibus, ut ait Joannes. Præclarum etiam hoc medium comparandi sibi victum ad saturitatem, sua distribuere, vel saltem communicare esurientibus. Id promittit expresse apostolus, I. Cor. IX. illis verbis: *Qui gemit in benedictionibus*, (eleemosynam) *de benedictionibus et metet*. Et mox: *Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum*, h. e. bona temporalia. « Sicut enim semen, ait S. Basil. hom. XIII. de eleemosyna, in terram jactum, fructum fert centuplum, ita et eleemosyna data pauperi. Si ergo unus tantum tibi sit panis, et ad fores rogatur, deprome illum, et tollens manus in cælum dic: De modico do fratri, et tu Domine, da mihi periclitanti: ne dubita quiapanis, quem in hac dabis penuria, agriculturæ semen ad copiam ministrabit. » Sic ille. Idem S. Basil. hom. VI. ait: « Dedisti esurienti, tibi consulisti: quod dedisti, ad te cum auctario revertetur; quemadmodum enim frumentum in terram cadens lucrum projicienti parit: sic et panis in esurientem projectus multam in posterum tibi reddet utilitatem. » Hæc Basil. Ostendit hoc imprimis vidua illa, quæ non habens nisi pusillum farinæ, cum eam tempore famis esurienti impendisset Eliæ, non defecit ejus hydria farinæ, donec famas data pluvia sublata esset, III. Reg. XVII. Ostendit Elisæus, qui cum viginti panes sibi allatos distribui et apponi jussisset populo, centum viros pavit, et superfluit, IV. Reg. IV. Similia non semel exhibuit, eaque cumulata beneficia largus in pauperes, ut B. Lidwinæ, virgini Hollandicæ, quæ cum esset pauper, studiose tamen egenis succurrebat: cumque paucos in bursa haberet nummos, dum eos liberaliter erogabat, assidue alii cœlitus ei subrogabantur, ita ut nunquam deficerent, sed crescerent potius, ideoque *bursa Jesu* appellata fuerit, Sur. in vita. Hadrianus II. pap. adhuc privatus existens, Sergio II. pontifici familiaris fuit: a quo cum aliquando denarios quadraginta dono accepisset, domum rediens dispensatori mandavit, ut eos peregrinis et pauperibus qui in vestibulo domus suæ stabant, erogaret. Facere ille mandata conatus, cum videret, ne minimæ quidem parti tantula satisfaceri posse, ad Hadrianum rediens, rem ipsam exposuit. Tum Hadrianus accepta pecunia ad pauperes veniens, et ternos

denarios singulis præstitit, et totidem sibi, re familiari satisfactorum reservavit, attonito dispensatore miraculo rei. Cui Hadrianus: *Vides, inquit, quam benignus et largus sit Dominus, his præsertim qui liberales sunt in pauperes?* Platina et S. Antonius, tit. XVI. c. I. § X. Aliud præclarum hujus benedictionis exemplum habetur in vita B. Jordani, apud Sur. 13 febr. n. VI.

Videamus igitur non deesse nobis modos ac rationes multiplicandi panes, aliaque Dei beneficia. Discitote ergo lucrosam hoc artificium, nec difficile videatur vobis exercere illud. Quis enim non potest laborare et labores suos Deo offerre? Vel si quis laborare nequit, quomodo non potest orare? Quis non Deo gratias agere pro acceptis beneficiis? Quis ea non laudare? Quis non temperanter vivere? Quis non aliquid saltem in egenos distribuere? Sic fit multiplicatio.

CONCIO IV.

UNDE LÆTANDUM SIT CHRISTIANO.

I. Quod simus membra Ecclesiæ catholicæ. — II. Quod simus adhuc in statu merendi. — III. Quia tribulationes nostræ præsentis, semen sunt gloriæ. — IV. Quod bonam habeat conscientiam. — V. Quod speremus beatam resurrectionem.

THEMA.

Lætare Jerusalem. Introitus hodiernæ missæ.

Nosse vos arbitror, quod Tob. V. legimus, Tobias senior in cæcitate sua salutatum esse a Raphaelle verbis illis: *Gaudium tibi sit semper, eique respondisse: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video?* Raphaellem imitatus hodie Ecclesia, quæ filios suos solatura salutat illa voce, quia et officium missæ inchoat: *Lætare Jerusalem*, h. e. cives Ecclesiæ militantis. Sed quale gaudium nobis, respondebunt aliqui, tempore jejunii? Tempore poenitentiae? Quale gaudium nobis, qui in hac lacrymarum valle et in tenebris sedemus, nec lumen cœlestis beatitudinis videmus? Verum isti sciunt imprimis, gaudium nostrum in hoc sæculo non esse carnale, sed spirituale: quod solum est verum ac solidum, non secus ac Pilato Christus dixit, regnum suum non esse de hoc mundo. Deinde reperiri etiam gaudium in Ecclesia militante, non in sola triumphante. Et hoc ipsum est, ad quod hortatur nos Ecclesia hodierna die: quod nunc intelligemus.

Quinque *Lætare* invenio in ss. litteris, quæ nos excitare ad lætitiã spiritualement possunt, imo etiam debent.

I. Primum ad Galat. IV. ait apostolus: *Lætare sterilis, quæ non parit; erumpe et clama, quæ non parturis, quia multæ filiarum desertæ magis quam ejus quæ habet virum*. Alloquitur apostolus Ecclesiam nostram, collectam ex gentibus, quæ olim sub gentilismo erat sterilis, nullos habens fideles adeoque electos; nunc autem per Christum adeo fecundata est, ut longe plures habeat filios spirituales Deo charos, quam olim habuerit synagoga. Magna sanè nobis hæc lætitiæ causa est, quod simus in Ecclesia christiana, eaque catholica, in qua tot salutis sunt præsidia et hortamenta, tot sanctorum patrocinia, tot piorum exempla, quæ etiam faciunt nobis spem non levem, majorem saltem partem fidelium fore salvam. Ad quid enim alioquin toties ad lætitiã excitat nos Scriptura sancta ob præsentiam Salvatoris nostri jam incarnati si post ejus adventum non plures multo beandi forent quam prius bearentur? Sic enim princeps noster denuntiaret nobis festivum et solemne gaudium, eo quod brevi sua nos præsentia dignari et exhilarare vellet; postea urbem ingressus, plerosque duci ad supplicia juberet, quæ hic lætitiã foret? Nos in arca Noe sumus, ubi nemo perit, nisi qui ex arca temere et stulte præcipitare se in aquas velit. Cogitate quanta cum lætitiã, tametsi non absque sancto pavore aliquo, octo illæ animæ natarint in arca, videntes alios, qui foris erant, circumcirca submergi. Doleant et ululent, qui ex arca Ecclesiæ stulte exscenderunt, et male compactæ hæreseos naviculæ sese crediderunt. Quemadmodum enim nulla alia navis, tametsi absque dubio plurimæ passim aliæ in diluvio natabant, et homines alios vehebant, incolumis evasit: quia a Noe fabricatæ et gubernatæ non erant: ita præter Ecclesiam catholicam nulla alia salutem speret; quia a Christo erectæ et directæ non sunt. Quam putamus lætatos fuisse eos, qui in domo Rahab securi de vita et salute habitarunt, quando Josue urbem Jericho vastavit in ore gladii! Nos in hac domo sumus, extra quam non est salus. Gemant illi qui foris sunt, Turcæ et Judæi, et qui eam deseruerunt, hæretici. Ac licet in domo ista quædam pereant nonnulli, quia se hostili exponunt gladio, eorum tamen numerum pauciorum electorum fore, suadet præter alia multa magistra experientia, quæ ostendit plerosque in articulo mortis expiari, expiatosque hinc discedere. Ita ex Silvestro Suarez de Deo trino et uno, l. VI. c. 3. Nihilominus tamen sicut Noe cum familia sua non absque timore ferebatur in arca, ut quæ omni gubernaculo, remis et velis destituta erat, ne forte ipse a Deo ob peccatum aliquod destitueretur; ita decet nos in

timore incolatus nostri tempore conversari, ne forte simus ex paucioribus, qui peribunt; scimus enim et ex octo illis, qui in arca Noe fuerunt, unum postea maledictum fuisse, qui patri illuserat, Cham videlicet, Gen. IX.

II. Deut. XXXIII. ubi Moyses moriturus benedixit tribum Zabulon et Issachar, his verbis: *Lætare Zabulon in exitu tuo, et Issachar in tabernaculis tuis.* Prævidit enim in spiritu has duas tribus valde ditandas ex terræ sibi obventuræ commoditate: Zabulon ex navigatione et mercimoniis, quia in littore maris habitabat in statione navium, Gen. XLIX. h. e. juxta mare Tiberiadis et Mediterraneum: Issachar vero ex agricultura in terra optima, vini, frumenti et olei fertilissima: ideoque supposituram humeros velut asinum fortem ad ferenda onera rustica. Ait igitur: *Lætare Zabulon, quia ex mari per mercimonia; Issachar, quia ex fecunda et amœna terra per agriculturam, parare tibi magnas poteris divitias.* Magis autem videtur respexisse Moyses ad spirituales opes tempore Christi comparandas: quia in tribu Zabulon erat Nazareth, mons Thabor, civitas Capharnaum, in quibus Christus educatus, transfiguratus, concionatus est, et mira patravit. Multo adhuc verius spectat hoc *Lætare* ad nos Christianos, quia versamur nunc in terra fertilissima cœlestium honorum, habitamus in emporio et ad mare gratiarum, ubi emitte ad cœlum naves nostras possumus, meritorum thesauris onustas, quas hic implere licet, si bene operari velimus, et humeros supponere. S. August. I. XIII. de civit. e. III. scribit, quemdam histrionem in frequenti foro theatrum conscendisse ac dixisse, se omnium quotquot in foro adessent, cogitationes ac vota scire atque enuntiare velle. Omnibus igitur avidè expectantibus clamavit: *Vultis caro pretio vendere, vili vultis emere, hæc omnium vestrum mens est.* Non dubium quin vestrum quoque, auditores, commune sit hoc votum et desiderium. Atqui nunc et tempus et locum habetis, ubi caro pretio vendere, et vili potestis emere: parva elemosyna peccata vestra redimere, et thesaurum in cœlis comparare; idem dico de aliis bonis operibus. Remittite injurias vestras exiguas, et remittet vobis Deus immania vestra debita. Da potum aut cibum inimico tuo, Deus dabit tibi mensam regni sui semper in omnem æternitatem. Videre est in nundinis majorem quamdam lætitiã inter homines, quam aliis temporibus; audiuntur passim symphonie et instrumenta musica, confluunt undique advenæ, bibunt, epulantur, multi ebrii discedunt, omnes lucrum aliquod captant aut expectant, gaudent libertate dum vexillum aut

peritica, libertatis index, erecta est. Quidni? lætemur et nos in mundinis spiritualibus? *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,* clamat apost. II. Cor. VI. *Acceptabile, h. e. omni gaudio acceptandum, quia quidquid olim in paradiso perdidimus, nunc recuperare et longe plura possumus, pretio non tam nostro quam alieno sanguinis Christi. Quare negligitis?* (ait Jacob fame pressus ad filios.) *Audivi quod triticum venundetur in Ægypto: descendite et emite nobis necessaria, ut vivere possimus, et non consumamur inopia,* Gen. XLII. Non est nobis necesse descendere in Ægyptum, tam longo itinere: præ foribus nostris occasio emendi est. Cogitate quam gauderent inferi, imo et animæ purgantes, saltem pleræque, si permitteretur egredi ad has nundinas, ut redimere possent pœnas suas et dies illos malos, quos jam agunt? In vita B. Ægydii Minoritæ, socii S. Francisci, refert Sur. 23 april. eum aliquando in spiritu elevatum exclamasse: « O vos, inferi, dicite mihi, quid parati estis facere pœnitentiæ, quo possetis redire in Dei gratiam? » Et respondit ipsorum nomine. Libenter totam orbis terrarum humum sensim effodiendo egeremus, si possemus evadere pœnas istas, non habituras finem. » Nihil verius.

III. Zachariæ cap. II. *Lætare filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus.* Loquitur hoc propheta ad populum Hebræorum in tribulatione magna positum, videlicet in captivitate Babylonica exulantem. Et quomodo ille populus lætari in captivitate queat? Quale gaudium ei nuntiat propheta? Quod videlicet exacto captivitatis tempore rediturussit in patriam suam, restauraturus quoque templum et civitatem Jerusalem majore et augustiore forma. Eadem quoque nobis causa lætandi esto cum in tribulatione sumus: *Quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis,* ait Tob. c. III. Videamus agricolas, dum arant et serunt: fabros ferrarios et serrarios summo mane inter labores suos hilariter cantare, tametsi ad tempus expectare messem et mercedem habeant, nec omnino de ea certi sint; fallit enim interdum sperata messis, fallit subinde et expectata merces. Nec unquam audivi lamentantem opificem, quod minis obruatur expediendis laboribus, v. g. sartores, quod multæ nimis vestes conficiendæ sibi offerantur: vel *epulas*, quod nimis multas habeant vineas aut agros colendos; imo hæc suum lucrum et divitias jure merito arbitrantur. Jam vero tribulationes quid nisi semen et lucri materia sunt? Quid nisi vineæ et agri? Ferent enim ingentem tibi in cœlo fructum. Idcirco S. Jacobus apost. ad fideles, in

dispersione et tribulatione positos, scribens ita orditur: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, c. I. En patere solum, quæ offertur tibi, tribulationem, et opus perfectum habes, sicut sartor vestes jam confectas, quid nisi merces tibi superest? Didicit hoc Jacobus a Christo qui dixit: *Beati eritis cum vos oderint homines, etc. gaudete in illa die* (qua scilicet persecutiones patiemini) *et exultate; ecce enim merces vestra multa est in cœlo,* Luc. VI. Athenais Leontii Atheniensis filia, forma et litteratura ornatissima, a patre exhæredata, et post a duobus fratribus paterna domo ejecta est. Quam ob causam abiit Constantinopolim, ut de injuria sibi facta quereretur imperatori. Interim Theodosius junior imp. intellectis ejus dotibus et illata ipsi injuria, eam sibi in conjugem elegit, fecitque imperatricem, Eudoxiamque appellavit; quæ postea fratribus suis maximas egit gratias, imo contulit magistratus, quod se domo expulissent; siquidem per hoc ad regni solium ascenderit, quo alioquin tota vita sua nunquam pervenisset. Refert Cuspinianus in Theodosio. Tribulationes nobis hujusmodi gradus sunt ad cœlestis regni thronum: igitur et Deo gratias agamus, cum eas nobis immittit; illæ enim recta dirigunt nos ad Deum, et dum in angustiis positi ad eum confugimus, majora dona accipimus quam prius perdidimus.*

IV. Quartum Sophoniæ, cap. III. *Lætare et exulta in omni corde, filia Jerusalem. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui: non timebis malum ultra.* Consolatur his verbis propheta Ecclesiam, ejusque filios justos, quos gaudere jubet, quod remiserit eis peccata, quibus judicium et pœnas fuerant commeriti: insuper abstulerit ab eis jugum dæmonis: jamque Christus in illorum cordibus habitet; et ita nixi conscientia bona non habeant ultra quod timeant. Tangit hoc *Lætare* bonam conscientiam, quæ ingerit homini testimonium expulsi dæmonis ac peccati, et inhabitantis in se Christi per divinam gratiam; unde jam nihil timet; imo cœlum quasi in terra habet, quia Christum in corde suo, et cum eo omnia. Ita enim S. Ambrosius, lib. II. offic. cap. I. ait: *Vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ, et securitas innocentie.* Chosroas Persarum rex divinos sibi honores arrogans, ut in terra cœlum sibi aliquod fabricaret, turrim argenteam sibi extruxit, illucescentibus lapillis exornata: solem quoque et lunam cum stellarum varietate confixit, construxitque thronum, demissos hinc

II. PARS HIEMALIS.

inde imbres, et tonitrua fulmina que mentitus. Rex ipse in throno sedebat, radios super caput intuens, sub pedibus strepitum et collisionem quasi tonitrua audiens, teste Cedreno, in compend. histor. et Bonsinio, lib. VIII. dec. I. Sed vanissimi regis vanissimum hoc cœlum fuit. Quod si ergo cœli aliqua species in hac vita haberi potest, in bona conscientia potest. Ibi enim Deus est, quem nemo ipsi auferre, nemo intervertere, semper homo adire, omniaque impetrare potest. Ibi videt supra se lumina cœlestia, quæ ostendunt ipsi Deum, et quæ in cœlo bona sunt: infra se vero contemni omnes tumultus sæculi, omnesque hostes suos deridet. Bene igitur Eccles. cap. XXX. dixit: *Non est oblectamentum super cordis gaudium;* in terris videlicet, quia cœlestis gaudii est specimen. Et Sapiens, Proverbior. XV. *Secura mens quasi juge convivium.* Quis autem nescit in conviviis adhiberi omnis generis oblectamenta? At convivia brevi durant: convivium bonæ conscientie juge et perenne est.

V. Quintum Joelis, cap. II. *Exulta et lætare, quoniam magnificavit Dominus ut faceret.* Quasi dicat, quia magna faciet tibi Deus. Quibus verbis promittit Deus Hebræis post reditum e Babylone omnem prosperitatem et abundantiam frugum, quibus prius ad tempus privati fuerant. Unde sequitur: *Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca, etc.* Sed quomodo reddet fruges jam a vermibus comestas? In resurrectione, quando corpora, membra ac sensus, et quidquid per mortem perditum fuit, cum fœnore restituet. Hinc prodit gaudium nostrum omnium maximum. Quia enim non gaudeat si norit thesaurum, qui sibi aufertur, brevi restituendum in centuplum? Romanus quidam Trapezites, primis urbis proceribus convivio exceptus, magnificentem exhibiturus spectaculum, quoties nova mensa apponebatur, toties priorem cum omnibus vasis argenteis in fenestra in præterfluentem Tiberim projeci jussit. Ut quid hæc perditio? Dices, sed audi. Rete prius latissimum Tiberino in flumine expandit, quod omnem illum mensæ apparatus projectum excepit, et postea retractum domino suo restituit. Quid huic rei similis, quam carnis resurrectio? Ea enim refundet, et quidem magno fœnore, quidquid hic amittimus. Atque huc potissimum respicit Ecclesia in hodierno *Lætare.* In cujus rei indicium, et piorum consolationem solet hæc die summus pontifex benedicere rosam auream, musco et balsamo imbutam, et promunere spirituali transmittere magno alicui principi. Hanc cum Alexander papa III. an. 1177. ut Baronius refert, mitteret Francorum regi, exposuit in adjectis litteris